Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

in se credentib: & sperantib: & in eius caritate usq: in finem perseueran-
tib: polliceri praemia aeterna dignatus est. uerum etiam temporalia
scandala non defutura praedixit. quib: fidem nostram exerceri &
probari oporteret. Ait enim. Quoniam abundauit iniquitas. refrigescet
caritas multorum. Sed continuo subiecit. Qui autem perseuerauerit
usq: in finem. hic saluus erit. Quid ergo mirum si homines serui di
detrahunt. & quia eorum uitam peruertere non possunt. famam
decolorare conantur. cum ipsum dominum & dominum eorum cottidie blasphe-
mare non cessent. cui mei displicet quidquid contra eorum uoluntatem
iusto & occulto iudicio facit. Unde exhortor prudentiam uestram domini
dilectissimi meritoq: honorandi fratres. ut scriptum di qui nob
haec omnia futura pronuntiauit & aduersus ea nos firmos esse debere
praemonuit. contra hominum maledica uaniloquia. suspiciones
que temerarias. corde christianissimo cogitetis. Breuiter itaq: dico
caritati uestrae. bonifacium praesbiterum in nullo crimine apud
me fuisse detectum. Nequaquam me de illo tale aliquid credidisse
uel credere. Quomodo ergo iuberem de numero presbitero-
rum nomen eius auferri. uehementer terrente euangelio. ubi
dominus ait. In quo iudicio iudicaueritis. iudicabimini. Cum enim causa
quae inter illum & spem exorta est. sub diuino examine pendeat.
secundum placitum eorum quod uobis si uolueritis poterit recitari.
quis ego sum ut audeam dei praeuenire sententiam. In delendo uel
subprimendo eius nomine. de quo nec suspicari temere mali aliquid
episcopus debui. Nec delucide iudicare homo de hoc occultis hominum po-
tui. cum in ipsis causis saecularib: quando ad maiorem potestatem
refertur arbitrium iudicandi. manentib: sicuti erant omnib: reb:
exspectetur illa sententia. Unde iam non liceat prouocari ne supe-
riori cognitori fiat iniuria. si eius pendente iudicio aliquid fue-
rit commutatum. Et utiq: multum interest. inter diuinam & hu-
manam quamlibet excelsissimam potestatem. Domini di nostri.